

Affteritas frigorum abest. Addit etiam, Solum præter oleam vitemque & cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fœcundum, tardè mitescunt, cito proveniunt, eadem utriusque rei causa, multus humor terrarum, cœlique. Aër enim (ut habet Strabo) imbris magis est quam nivibus obnoxius. Ab omni tamen frugum genere ita beatum, ut Cereris sedem fuisse dixerit Orpheus. Nam de hac nostra insula intelligendum illud est:

* — id evḡia dāμat ἀνέσης

Δημητρ.

** Cereris
regalia sunt
hic ampla
Dea.*

*Zosimus.
Eunapius
meli περ-
βέαν.*

*Panegyri-
cus Con-
stantino di-
ctus.*

Et occidentalis imperii quasi horreum, & cella penuaria fuerit, unde 1 CCC navibus, quæ lembis maiores erant, magnum frumenti numerum in Germaniam ad limitaneos exercitus alendos quotannis exportaverint Romani. Sed ne in patriæ laudes effusior lascivire videar, audi pro me veterem oratorem ejus laudes pleno ore celebrantem. O fortunata & omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantiū Cæsarem prima vidisti: merito te omnibus caeli, ac soli bonis natura donavit, in qua nec rigore est nimius hyemis, nec ardor aestatis, in qua segetum tanta fœcunditas, ut muneribus utrisque sufficiat, & Cereris & Liberi: in qua nemora sine immanibus bestiis, terra sine serpentibus noxiis. Contrà pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte distenta & onusta velleribus: certè, quod propter vitam diligitur, longissimi dies, & nulla sine aliqua luce noctes, tum illa littorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam cœli, & sydereum transit aspectus, ut Sol ipse qui nobis videtur occidere, ibi appareat praterire.

*Panegyri-
cus Con-
stantino di-
ctus.*

Alium item si placet, Constantium Constantini Magni patrem sic alloquenter audi. Et sanè non sicut Britannia nomen unum, ita mediocris jacturæ erat Reipub. terra, tanto frugum ubere, tanto lata numero paucorum, tot metallorum fluens rivis, tot rectigalibus questuosa, tot accincta portibus, tanto immensa circuitu.

Singularem etiam & maternam naturæ benevolentiam in hanc insulam sic expressit Poëta satis antiquus, Britanniam hoc epigrammate affectus, quod luce non indignum quidam judicarunt:

Tu nimio nec stricta gelu, nec sydere fervens,
Clementi cælo, temperieque places.
Cum pareret natura parens, varioque favore
Divideret dotes omnibus una locis,
Seposuit portiora tibi, matremque professa,
Insula sis fælix, plenaque pacis, ait.
Quicquid amat luxus, quicquid desiderat usus,
Ex te proveniet, vel aliunde tibi.

*Insula For-
tunata.*

*In comm.
ad Lycop-
hronem.*

Opulenta hæc Britannia ubertas, & beata amœnitas fidem fecit nonnullis Fortunatas illas, five Beatorum insulas, in quibus omnia perpetuo vere ridere scribunt Poëta, apud nos fuisse. Hoc enim Isacius Tzetzes non minimi inter Græcos nominis affirmat, maioresque nostri ac veritatem credidisse videntur. Cum enim, ut est apud Robertum Avesburensem, Clemens VI I, Pontifex Romanus Lodovicum de Hispania Fortunatarum Insularum Principem designasset, & in ejus subsidium delectus in Gallia & Italia haberet, persuassimum nostris erat illum Britannia principem designatum fuisse, & in Britanniam, quasi unam de Fortunatis, ut inquit ille, omnem istum apparatum fieri. Ipsique viri prudentissimi,

nostri apud Pontificem legati, ita hanc opinionem imbibent, ut statim se Roma subduxerint, & in Angliam, ut suos certiores facerent, adlarint. Nec aliud nunc judicarit, qui fortunatas & beatas Britanniæ dotes penitus noverit: est enim naturæ gaudentis opus, quam quasi alterum orbem, extra orbem ad delicias humani generis constituisse, & tanquam formam quandam ad eximiam pulchritudinem, & universi ornatum egregiè depinxisse videatur. Ea varietate gemmea, & descriptione amœna oculi quoconque inciderint, reficiuntur. Ut incolas taceam, optima corporis habitudine, commodissimis moribus, mitissimis ingenii, & maximis animis, quorum virtus rebus domique bellique gestis est universo terrarum orbi testatissima.

Qui verò vetustissimi, adeoque primævi insulæ hujus incolæ fuerint, quæ item Britanniæ nominis originatio, variæ subinde enata sunt opinio-

*Primi In-
cola, & no-
minis ra-
tio.*

nes, & multos (ut inquit ille) incertos certare hanc rem vidimus. Nec quicquam certi nos hac in re magis sperare possumus, quam reliquæ gentes quæ (præter eas quibus suas origines afferunt sacræ literæ) perinde ac nos, quod ad originem spectat, in magnis tenebris, erroribus, & inscitia versantur. Nec aliter sane fieri potest, cum veritas tot labentium seculorum revolutionibus non poterat non profundè occultari. Primos etenim regionum incolas alia curæ cogitationesque annerunt quam suas origines ad posteros transmitendi. Quod etiam maximè voluissent, minime poterant, cum eorum vita esset inculta, horrida, bellorum plena, & ideo sine literarum præsidio, quæ vitæ civilis, pacis, otiique comites, solummodo rerum memoriam conservare & seræ posteritati transmittere possunt. Præterea Druidæ qui olim Britannorum & Gallorum Sacerdotes, præterita tenuisse credebantur, Bardique rerum strenue gestarum decantatores non fas existimarent quicquam literis librisque mandare. Sin autem quid mandassent, tanto tempore, tot tantisque rerum conversionibus & eversionibus præculdio intercidisset, cum saxa, pyramides, obelisci, aliaque monumenta quæ ad memoriam conservandam ære perenniora videbantur, diuturni temporis iniquitati jam olim cesserint. Subsequentibus tamen seculis apud plures nationes non defuerunt, qui hæc supplere gestierunt, cumque verum docere non potuissent, saltem ut delectarent, narrationes jucunda quadam varietate ad voluptatem comparatas, & opiniones profuso quisque captu de gentium originibus nominibusque parturierunt. Quibus multi neglecta veri inquisitione statim conniverunt, plerique fingentis dulcedine deliniti prone crediderunt.

Verum cæteris omisis, inter nos (quem hujus suspicionis affinem non dixerim) Galfredus quidam Arthurius Monumethensis, regnante Henrico Secundo, Historiam Britannicam, è lingua Britannica, ut ipse ait, edidit: in qua prodit Brutum quendam origine Trojanum filium Silvii, nepotem Ascanii, pronepotem Æneæ illius Magni, cui genus à Iove summo (Dea enim Venus fuit genitrix) qui matrem partu, patrem forte fortuna inter venandum interemit (quod Magi prædixerant) patria profugum Græciam petiisse,

ibi

*Galfredus.
Ap. Ar-
thur.*